

MULTIPLICATIO INTEGRORVM  
numerorum.

## CAP. IIII.

Multipli-  
catio qd.

**M**ULTIPLICATIO est ductus vnius numeri in alium. Tunc autem numerus quilibet in aliū duci dicitur, cum alter ipsorum toties augetur, quoties in altero continetur vnitatis. Vt numerus 6. in numerum 5. vel numerus 5. in numerum 6. duci dicitur, quando numerus 6. quinquies accipitur, vel numerus 5. sexies. quo pacto semper accipientur 30. atq; huiusmodi ductus Multiplicatio appellatur. Itaque numerus ex multiplicatione, siue ductu vnius numeri in alterum procreatus toties vtrumlibet multiplicatorum continebit, quoties alter vnitatem complectitur, vt in dato exemplo manifestū est. Ex quo fit, Multiplicationem ita quoque describi posse. Multiplicatio duorum numerorum est inuentio numeri, qui toties vtrumuis eorum contineat, quoties alter vnitatem continet.

Vt expedite omnis multiplicatio fiat, necesse est nosse, qui numerus producat ex ductu, siue multiplicatione cuiuslibet figuræ numericæ in quamuis aliam figuram, vt ex 7. in 8. vel ex 8. in 7. Item ex 7. in 9. vel ex 9. in 7. &c. Hoc enim si bene tenueris, nullam in multiplicatione senties difficultatem, aut laborem. Id quod assiduo exercitio magis discitur, quàm vllō præcepto. Interim tamen mirificet tibi inseruiet sequens tabula, quæ Pythagorica dici solet, ea fortassis de causa, quòd